Szaniawski Constantini Feliciani: Edictum contra Dissidentes.

CONSTANTINUS FELICIANUS
IN SZANIAWY
SZANIAWSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPUS CRACOVIENSIS, DUX SEVERIÆ.



Niversis & singulis, ad quos præsentium notitia regulatur, Salutem in Domino. Ecclesiam & Dioecesim Nostram Cracoviensem, cui Nos Dominus sponsavit in fide, optabamus non habentem maculam neq; rugam, & Vnius Pastoris unum esse ovile, nisi Æternæ Veritatis oracula, infallibili eventu complenda forent, inter electam Cælestîs Patrisfamilias sementem, reperiri, quæ inimicus homo superseminavit, zizania; & quo meliùs Orthodoxæ Religionis splendor eluceat, etiam hæreses esse oportere. Hac certè sentinâ, agrum hunc Domini Sabaoth, Hortum conclusum, & Terram verè Sacerdotalem, licet aliqua tantùm parte consitam, ex imo corde indolemus, & Pastoralis Officij Nostri munus, in quo Nos Dominus constituit, ut evellamus, destruamus, & dissipemus, & plantemus, animo revolventes, ministerio Nostro accincti, ubi evellere de plano, alienos à veritate Fidei errores, nondum venit tempus, ut saltem periculosa hæc zizania, usq; ad messem crescere relicta, ultra limites, aut radices non agant, aut frondes non extendant, tenemur dare operam. Quam aggredientes ante omnia, universos & singulos cujuscunq; Statûs & conditionis Dissidentes, intra fines Diæcesis Nostræ constitutos, in Domino hortamur, & obsecramus, at attendant ad Petram, unde excisi sunt, seu potiùs exciderunt, & ad S. Matris Ecclesiæ redeant gremium: Quòd si redire noluerint, noverint tamen, Nos suum esse Pastorem, & voci Nostræ obedientiam se debere, ex quo Ecclesiæ januam per Baptismum ingressi, ejusdem filij licèt inobedientes, & subditi, quamvis recalcitrantes, sunt effecti. Mandamus proindè ipsis, & seriò præcipimus, ac eosdem monemus, ut omnes, qui Dignitates, Magistratus, Officia, Personis tantùm Catholicis competentia obtinent, aut Civitati Nostræ Cracoviensi, sivè alijs, cum spe ac obligatione amplectendi fidem Catholicam, sunt adscripti, in spatio sex Mensium, obligationi suæ satisfaciant, certò scientes per Nos curatum iri, ut ex Legum præscripto, cum renitentibus procedatur. Licèt autem Acatholici, exercitium suæ Religionis per conniventiam quasi Legum publicarum, habere prætendunt indultum, quia tamen in Regno Catholico degentes, per modum Accessorij, sequi suum principale, & Dominanti subordinari Religioni obligantur; ideò studeant intra cancellos dissimulatæ sibi utcunq; tolerantiæ, se continere, & ultra Fana hactenus indebitè usurpata, nulla alia denovo exstruere, quinimò eadem si vetustate collabuntur, nullo prætextu, vel colore quæsito, contra multiplicatas Constitutiones Regni, reædificare, vel restaurare, aliàs demolienda: Festa & Solemnitates secundùm Calendarium Romanum observare, nec ad eorum, vel jejuniorum violationem, familiam Catholicam, sive subditos adigere; Nos enim contra secùs facientes, rigorem Iuris extendemus, extendiq; curabimus. Prohibentes districtè omnibus Ministris Acatholicis, in Diæcesi Nostra reperibilibus, ne in Fanis suis novas & insolitas solemnitates practicare, extra Fana verò in domibus privatis, conventicula, devotiones, aut prædicationes facere, Ritus & cæremonias suas quascunq; ibidem exercere, præjudicia Ecclesijs & Iuribus Parochialibus inferre, multò magis Catholicos ad amplectendam Sectam suam sollicitare, & inducere audeant; quinimò ut Ordinationibus Nostris, sivè Antecessorum Nostrorum, nec non Decretis Visitationum, ad amusim obtemperent; Censuris Ecclesiasticis innodatos ab ingressu Fani, communione & sepulturâ arceant, ijsdem præcipimus, sub pæna captivationis, carceris, proscriptionis, & alijs arbitrarijs rigidissimè irrogandis. Volumus insuper omnes Dissidentes scire, quòd ex eo, quia Cives aut Incolæ sunt, tum Patriæ, tum Diæcesis Nostræ, nec ullos limites extēsionis suæ, circūscriptos habent, sed permixti Catholicis sub Parochijs degunt, teneri eos jure Parochiali, & subordinari Ecclesijs Parochialibus, quarum fines incolūt, & proindè ad ea omnia obligari, ad quæ tenētur Parochiani, signāter autem, quatenùs Matrimonia, quorū valor ab assistentia proprij & legitimi Parochi dependet, non alibi, quàm in Ecclesijs Parochialibus Catholicis, & præmissis bānis, nisi aliter per Nos dispensatū fuerit, contrahant, ita disponente SS. Concil: Tridēt: Sess. 24. c. 1. de Reform: Matrim: ubi S. Cōgregatio ejusdē Concilij Interpretum, respōdens Episcopo Tricasiēsi, manifestè declarat: *Hæretici, in quorū Parochia dictū Decretum fuit publicatum*: (quod utiq; in omnibus Parochijs Regni Poloniæ est receptum:) *tenentur præscriptā formam observare, & propterea ipsorum Matrimonia, absq; forma Concilij, quāvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu loci, cōtracta, sunt nulla.* In quo fundamēto per Tribunal S. Nūtiaturæ Apostolicæ de Anno 1723. diæ Lunæ 25. 8bris in Causa Cracov: Matrimonium inter Acatholicos, in Assistentia Ministri Hæretici contractū, nullum & irritum fuit declaratū. Talibus igitur obviando incōvenientiis, & Matrimoniorum, ac prolis inde secuturæ, legitimitati consulendo; Prohibemus severè, Matrimonia inter Acatholicos, in Fanis & coram Ministris Hæreticis celebrari, sed ea in Ecclesijs Catholicis in Assistentia proprij, & legitimi Parochi, cōtrahi debere volumus, & mādamus; & qui secus fecerint eisdē mutuam cohabitionē, donec de novo secundùm formam Tridentini contrahant, interdicimus; Fiscaliq; Curiæ Nostræ contra taliter facientes, & Ministros copulantes actionē reservamus. Et cùm alias SS. Canones, Matrimonia inter Catholicam & Hæreticum vel è contra prohibeant, si tamen aliquando id expedire contingat, rem ad Nos deferri volumus, hoc præcautô, quatenùs proles tam mascula, quàm fæminea ex tali Matrimonio proveniens, Catholicum sive Patrem, sive Matrem in Religione seqvatur. Super quibus omnibus, seriam attendentiā, Officialibus & Decanis foraneis, necnon Parochis locorum demandamus, obligantes eos in conscientia, ut si contra præsentem Ordinationem Nostram, quid per quempiam attentatum fuerit, ad Nos deferant, & contra transgressores, ubi, & coram quo venerit de Iure, agere non intermittant. DEVM Patrem Omnipotentem humiliter obsecrantes, ut cunctis mundum hunc Iurisdictionis Nostræ circumferentialem, purget erroribus, sedentes in tenebris & umbra mortis, ad lumen veræ Fidei, & viam Vitæ æternæ reducat, & Vniversos Dissidenres, in Christo & Ecclesia unum faciat nobiscum. Hæc igitur omnia & singula, ut ad notitiam universorum deveniant, volumus præsens edictum Nostrum Typo impressum, viâ cursoriâ, per omnes Decanatus Diæcesis Nostræ transmitti, & in Ecclesijs tam ex Ambona, quàm per affixionem ad valvas, signanter in Civitate Nostra Cracoviensi, & in locis, in quibus Acatholici reperiuntur, publicari. In quorum fidem Datum Kielcijs Die 10. Ianuarij. Anno Domini 1725.

Constantinus Szaniawski, Episcopus
Cracoviensis. *m. pp.*

L. ✠ S.

Cypryanus Langi U. J. D. Canoni Vislicienfis; Curia sua Illustrissima Celsitudinis Actuarius, m. pp.

Edictum contra Dissidentes.